

*Ad dubium:* An de s. Elisab. (reg. Port. vid.) quando fit ejus Officium ad libitum, debeat fieri cum suis hymnis et antiphonis propriis, an sufficiat fieri tantum de communi cum primis lectionibus de Scriptura? S. C. resp.: Affirmative, nimirum: quod fiat cum suis hymnis et antiphonis ppr. n. 3244 ad 9 die 11. Aug. 1691.

## EPIPHANIA.

## 1) Dies octava.

Vd.: *Protektor civit.*; *Dominicae post Epiphaniam*; *Patronus civit.* (Missa sol.)

Cadente festo s. Hilarii protectoris principalis civitatis Parmen in die octava Epiphaniae, *Officium* esse faciendum de octava; missas vero posse recitari duas, unam de festo, alteram de octava. n. 2311 die 24. Jan. 1665.

## 2) Festorum publicatio.

Festa mobilia in Epiphania Domini publicare pertinet ad Canonicum juniorem. n. 336 die 16. Jan. 1607.

Canonici Metropol. Capuae in die Epiphaniae tenentur annuntiare populo festa mobilia. n. 4059 ad 6 die 3. Aug. 1737.

## 3) Festorum translatio.

Ab octava Epiphaniae omnia duplicia excludi praeter ea, quae sunt primae Classis, nempe Titularis et Patroni *principalis* ac Dedicacionis Ecclesiae; propterea in civitate Asculana Officium de s. Leone, patrono minus principali, transferendum esse. n. 2080 die 20. Novb. 1660.

Ad relationem: Celebravimus hactenus in Cathedrali Viennen. in Austria octava die Januarii infra octavam Epiph. festum s. Severini abbatis sub ritu dupl. maj. tamquam Patroni *minus princip.* ejusdem Ecclesiae? S. C. resp.: Festum s. Severini esse

transferendum. n. 3664 ad 4 die 22. Sept. 1703.

## 4) Vigiliae.

Vd.: *Vigilia Epiphaniae.*

## EPISCOPUS.

## 1) Accessus ad Ecclesiam Cathedral.

## a) Associatio Canoniorum.

Cf.: *Episcop.* (Officii initium); *Canonici*, (habit. in assoc. Episcopi); *Visitatio*; *Magistratus* (praes. etc.); *Aspersorii porrectio in Colleg.* — *praes. Capit.* (decr. n. 3340); *Suffragan.* (access.); *Cappa*; *Caeremon.* (indicit Episcopo etc.); *Ecce Sacerdos magnus*; *Episcopus Administrator*; *Episcopus* (associatio).

Non quoties Episcopus ad Ecclesiam accedit, Dignitates et Canonici eum ex Palatio excipere et comitare ac reducere tenentur sed in *solemnibus* tantum diebus, quando ad Ecclesiam *cum cappa* ad celebrandum vel Pontificalia exercendum accedit. In caeteris autem diebus, quibus ad Ecclesiam ire debet, satis esse, si aliqui ex Dignitatibus et Canonici et ad ostium Ecclesiae occurrant et in reditu eundem usque ad ostium similiter comitentur. n. 333 die 16. Decb. 1606; n. 2415 die 23. Julii 1667.

Episcopus tenetur praenuntiare Canonici per diem ante, quando intendit celebrare in Pontificalibus. n. 1008 ad 3 die 9. Decb. 1634.

Condicta hora cum Episcopo pro inchoando Officio et dato signo cum campana, Canonici accedere tenentur ad cubiculum, ut illum excipiant et associent ad Ecclesiam. n. 1565 ad 2 die 13. Sept. 1646; n. 1567 ad 7 die 13. Sept. 1646; n. 2807 die 14. Novb. 1676.

Canonici exspectare debent in *aula* adventum Episcopi, quem oportet esse discretum. n. 1944 ad 1 die 7. Decb. 1658; n. 3028 ad 3 die 24. Julii 1683; n. 3103 ad 4 die 23. Mart. 1686.

Quando Episcopus ad Ecclesiam cum cappa pontificali accedit, ut solemniter celebret, vel ut assistat divinis officiis, concioni aut processioni, vel ut aliud quidquam ex Pontificalibus exerceat, Dignitates, Canonici et Capitulum debent ad cubiculum accedere, ubi Episcopus induitur cappa; in reditu debent etiam saltem usque ad ostium domus Episcopum associare.

Episcopo vero *privatim* venienti, id est *sine cappa* pontificali, nonnulli ex Dignitatibus et Canonici *ad ostium Ecclesiae* occurrere, et in reditu similiter usque ad ostium Ecclesiae ipsum comitare debent. n. 21 ad 3 et ejusdem num. infra ad 3 et 4 die 23. Mart. 1592; n. 60 die 3. Aug. 1593; n. 87 die 24. Jan. 1594; n. 851 ad 3 die 16. Febr. 1630; n. 1375 ad 3 die 10. Maji 1642; n. 2144 die 21. Jan. 1662; n. 2249 die 4. Aug. 1663; n. 4103 ad 1 die 10. Decb. 1740.

Episcopum venientem *cum cappa* semper excipi debere a Canonici in habitu canonicali in aula suae habitationis seu alio loco per ipsum ad hoc destinatum, eumque associari ad Ecclesiam et abeuntem pari modo reduci ad locum, ubi exceptus fuit, non obstante, quod Palatium distet ab Ecclesia; venientem vero sine cappa et Canonici in choro divinas horas recitantibus, satis esse, quod a quatuor vel quinque de Capitulo in *ostio* Ecclesiae excipiatur. — Episcopum venientem ad Ecclesiam *extra tempus communis existentiae Canoniorum in Ecclesia* semper excipi debere a Canonici in Ecclesia existentibus in *ostio* Ecclesiae, eique Ecclesiam ingredienti a digniore Aspersorium ministrari. — Episcopum a Canonici excipi debere in Capella vel alio loco, ubi missam privatam celebravit vel alias functiones exercuit et ab iisdem associari in choro vel in alio loco (missam cantandam audiendi vel prae-

dicationis causa). n. 945 ad 1—3 die 6. Decb. 1631.

Satis esse, quod Episcopo, dum divina Officia cantantur, occurrant ad ostium Ecclesiae quatuor ex Canonici, dummodo in choro remaneant Canonici in majori numero. n. 1008 ad 2 die 9. Decb. 1634.

Non debere Canonici excipere Episcopum de cubiculo, dum ad Ecclesiam accedit, ut divinis Officiis intersit, nisi quando incedit *cum cappa*; si vero cum *rocchetto* et *Mozzetta* accedat, satis esse ut per Canonicos excipiatur ad portam Ecclesiae. n. 1567 ad 4 et 8 die 13. Sept. 1646.

Canonici non tenentur ad Episcopum cubiculum accedere, nec ipsum sine pontificali cappa existentem associare. n. 133 ad 9 die 2. Sept. 1597.

Nullam Dignitatem, Canonicum aliamve personam propria auctoritate vel vigore cujusvis consuetudinis ad latus Episcopi vel cappa pontificali vel sacris vestibus induti, incedere debere, nisi ipse ex sua humanitate aliquem vocare velit; ipsum vero Archiepiscopum pro sua dignitate magis decere, ut solus incedat. n. 21 ad 4 et ejusdem num. infra 5; die 23. Mart. 1592.

Cf.: *Diaconi assistentes.*

Immemorabilem consuetudinem, ita ut Archiepiscopus duos Canonicos assistentes hinc inde apud se habeat per viam, dum ex domo ad Ecclesiam procedit, servandam esse. n. 379 die 10. Maji 1608; n. 414 die 24. Oct. 1609.

Non convenire Laicos cum Episcopo simul incedere, maxime in Processionibus. n. 541 ad 2 die 3. Junii 1617; n. 3878 ad 4 die 11. Maji 1715.

Neque ullam Episcopo, dum capitulariter associatus ad Ecclesiam *cum cappa* progreditur, assistentiam deberi. n. 593 die 30. Mart. 1621; n. 3468 die 19. Apr. 1698 cum append.: „secus vero quando est cum paramentis s.“

Quando Episcopus finita Missa vel aliqua hora canonica est ab Ecclesia discessurus, tantisper cessandum est a reliquis horis decantandis, quousque Capitulares abeuntem Episcopum reducere possint. Si interdum contingat Episcopum vel processione vel aliqua hora canonica nondum finita, abire compelli, tunc non omnes Capitulares cum eo discedant, sed satis erit, si quatuor de Capitulo eum domum reducant, ita ut perturbationis officii occasio non praebatur. Ibidem n. 21 ad 1.

Quodsi Episcopus finita Missa vel Vesperis, non tamen Completorio vel concione morali, discedere voluerit, Canonici tenentur saltem extra Ecclesiae portam comitari et postea statim redire ad chorum. Si vero discedat persolutis divinis Officiis tenentur illum associare extra portam vel usque ad primum atrium vel portam domus Episcopi, quando domus contigua est Ecclesiae (Caer. Lib. 1. c. 2.) n. 1565 ad 1 die 13. Sept. 1646; n. 1674 die 24. Maji 1653.

Cum Episcopus *solam concionem* auditurus ad Ecclesiam accedit, etiamsi cappa pontificali indutus, non omnes Capitulares, sed saltem duo ex Dignitatibus et sex ad minus ex Canonici Episcopum venientem ad ostium excipere atque ad eundem usque locum abeuntem reducere debere. n. 22 die 23. Martii 1592.

Canonicos Ecclesiae Callien. solitos esse Episcopum ad concionem audiendam venturum a propriis aedibus exceptum ad Ecclesiam indeque redeuntem similiter usque ad aedes comitari; quod cum modo id facere detrectant, supplicatum est continuari in tali observantia. S. R. C. resp., *Servari solitum*. n. 683 die 24. Apr. 1627.

Canonicos teneri Episcopum associare, quocumque *cum cappa pontificali* ad concionem audiendam ad

Ecclesiam accedat, cum ea distet nisi ducentis passibus. n. 2203 die 17. Mart. 1663; n. 2415 die 23. Julii 1667; n. 3322 die 19. Sept. 1693.

Capitulum teneri non solum prodire obviam usque ad ejus cubiculum Episcopo venturo ad Ecclesiam cum *cappa pontificali*, ut solemniter celebret aut divinis officiis assistat . . . verum etiam teneri eundem usque ad ipsius domum reducere, non obstante consuetudine in contrarium. n. 31 die 20. Oct. 1592; n. 115 die 8. Julii 1602; n. 4317 ad 1 die 6. Augusti 1763.

A Canonici cum habitu *canonicali* non esse excipiendum et associandum Episcopum, nisi sit *cappa* indutus. n. 1548 ad 2 die 13. Jan. 1646.

Omnes Canonici tenentur accedere in festivitatibus majoribus ad Palatium Episcopale, etiam non contiguum Cathedrali et ad aulam sive mansionem per eum destinatam, eumque associare ad Cathedr. et eundem cum cappa revertentem ad Palatium reassociare. n. 3845 ad 7 die 27. Febr. 1712; n. 4103 ad 2 die 10. Decb. 1740.

Quoties Episcopus cum cappa ad Ecclesiam venit, Canonici eum a loco suae habitationis associare tenentur, dummodo distantia sit brevis. n. 160 ad 2 die 3. Aug. 1602.

A decreto sub die 8. Julii 1602 edito (de associatione Episcopi agente) non esse recedendum et ad illud omnino servandum Canonicos teneri, eis-que in posterum super praemissis perpetuum silentium imposuit et imponi mandavit S. R. C. n. 206 die 5. Julii 1603.

Canonicos debere associare Episcopum a domo suae habitationis ad Ecclesiam in habitu *canonicali*, quotiescumque illuc *cum cappa* accedit.

Idem servandum esse a Canonici Civitatis Theatinae, non obstante quod ejus habitatio asseratur distare ab Ec-

clesia per passus sexaginta, cum modicum spatium non habeatur in consideratione. n. 178 die 14. Decemb. 1602; n. 206 die 5. Julii 1603; n. 746 die 12. Julii 1628.; n. 792 die 20. Decb. 1628.

Stante distantia a cubiculo Episcopi ad Cathedrali supra 170 passus, trium palmorum pro quolibet passu, Canonici non tenentur Episcopum cum cappa ad Cathedrali accedentem associare. n. 844 die 22. Decb. 1629.

Canonici tenentur Episcopum excipere et reducere, non obstante, quod Palatium distet a Cathedrali supra 186 passus. n. 996 die 6. Mart. 1634; n. 1018 die 15. Sept. 1635; n. 3117 die 20. Julii 1686.

Canonicos associaturos Episcopum ad Ecclesiam ab Episcopio distantem citra sexaginta passus, debere esse indutos insigniis et vestibus canonicalibus ac contrariam consuetudinem esse abusum. n. 1973 die 29. Martii 1659.

Teneri Canonicos in *habitu canonicali* accedere ad domum Episcopi, eumque cappa indutum a camera. . . ad Ecclesiam associare, quotiescumque solemniter celebraturus vel ut divinis Officiis assistat, accesserit, et finito Officio ipsum in *eodem habitu* ad eundem locum reducere. n. 205 die 5. Julii 1603; n. 698 die 17. Julii 1627. n. 4434 ad 4 die 27. Maji 1788.

Satis esse, quod Episcopum cappam induat in illa camera, in qua expectant Canonici pro illo excipiendo. n. 777 ad 4 die 20. Novb. 1628.

Canonicos teneri ad associandum Episcopum, quoties ipse cum cappa ad celebrandum Divina Officia vel ut assistat, ad Ecclesiam accedit. Debere tamen Episcopum curare, ne occasione hujus comitatus Ecclesia omnino deseratur, ita ut in ea nulli vel pauci Canonici vel presbyteri pro servitio Ecclesiae remaneant, quod prudentiae

et discretioni Episcopi S. R. C. moderandum reliquit. n. 227 ad 1 die 10. Jan. 1604.

Dignitates et Canonicos teneri Episcopum cappa indutum etiam in reditu ab Officio associare saltem usque ad portam domus suae habitationis. n. 284 die 12. Nov. 1605; n. 3103 ad 4 die 23. Mart. 1686; n. 3235 die 16. Decb. 1690; n. 3266 die 8. Mart. 1692; n. 4434 ad 5 die 27. Maji 1788.

*Ad dubium*: 1. An Archidiaconus et Canonici teneantur capitulariter in habitu canonicali recipere Episcopum a suo cubiculo et associare ad Ecclesiam Cathedrali, similique modo ad eundem reducere, quando iste vult pontificaliter celebrare, tam in solemnioribus a Pontificali Romano praescriptis, quam in aliis solemnitatibus ex consuetudine vel devotione in Civitate introductis vel occasione universalis Jubilaei vel alia rationabili causa Episcopo benevisa?

2. Et an idem veniat servandum, quando Episcopus ad eandem Ecclesiam accedit cum cappa, vel ut assistat Missae cantatae vel Vesperis aut Processioni, vel ut Concionem audiat, vel alia de causa etc.?

Et S. eadem R. C. rescribendum censuit:

Ad 1. „Affirmative“.

Ad 2. „Affirmative, juxta Caeremoniale“.

Et ita decrevit ac servari mandavit. n. 4028 ad 5 et 6 die 22. Jan. 1735.

Capitulum et universos Canonicos obligatos esse ex debito non ex urbanitate associare Episcopum ab ejus cubiculo ad Ecclesiam Cathedrali cum cappa pontificali eundem ad celebrandum vel divinis Officiis assistendum eumque finito Officio debere associare usque ad primum atrium seu portam domus ipsius, dummodo Ecclesia contigua sit domui vel non multum ab ea distans.

Dictam vero obligationem non procedere, quando Episcopus *cum cappa ad Cameram Capitularem* digreditur nisi ex eorum urbanitate. n. 274 die 16. Julii 1605; n. 1597 ad 5 die 5. Sept. 1648; n. 3327 die 13. Mart. 1694; n. 4317 ad 4 die 6. Augusti 1763.

Non ex urbanitate sed etiam ex debito et obligatione non modo Portionarios Canonicos et Dignitates, sed etiam ipsum Decanum teneri associare Episcopum a domo suae habitationis usque ad Ecclesiam Cathedr. veniendo et ab Ecclesia usque ad domum redeundo, quoties *cum cappa* venit ad Ecclesiam celebraturus vel ut divinis Officiis assistat. n. 398 die 10. Jan. 1609.

Capitulum et Canonicos debere accedere ad aulam sive cameram, quam ad hoc Archiepiscopus destinaverit tam in accessu ad Ecclesiam quam in reditu ad formam Caeremonialis, et re-nuentes etiam sub censuris in subsidium compellendos esse. n. 1598 die 21. Novb. 1648; n. 1754 die 19. Junii 1655.

Canonicos Cathedr. compellendos esse ab Episcopo, etiam sub censuris ad associationem ipsius a Palatio ad Ecclesiam et ab Ecclesia ad Palatium; ac si quid relevans in contrarium iidem habeant, in S. C. deducant. n. 2091 die 15. Jan. 1661; n. 2575 die 26. Mart. 1672; n. 2716 ad 1 die 17. Novb. 1674; n. 4434 ad 6 die 27. Maji 1788.

Non quoties Episcopus ad Ecclesiam accedit, Dignitates et Canonici eum ex Palatio suo excipere, comitari et reducere tenentur, sed in solemnioribus tantum diebus, quando ad Ecclesiam *cum cappa* ad celebrandum vel Pontificalia exercenda accedit. In caeteris autem diebus, quibus ad Ecclesiam ire debet, satis esse, si aliqui ex Dignitatibus et Canonicis ei ad

ostium Ecclesiae occurrant et in reditu eundem usque ad ostium similiter comitentur. n. 415 die 24. Oct. 1609; n. 536 die 8. Maji 1617; n. 562 die 19. Jan. 1619; n. 594 die 30. Mart. 1621; n. 594 die 30. Mart. 1621; n. 599 die 29. Maji 1621; n. 747 ad 2 die 12. Junii 1628.

Non semper et indistincte Obsequium (Associatio) a Dignitatibus et Canonicis Episcopo ad Ecclesiam venienti praestandum est, sed in solemnioribus tantum diebus, quando Episcopus *cum cappa* accedere voluerit.

Quando Episcopus ad Ecclesiam ascendit *dum in choro recitantur horae Canonicae* . . . satis erit, si quatuor vel quinque ex *Canonicis* vel de Capitulo Episcopo obviam procedant et major pars Canonicorum in choro remaneat, ne Officium deseratur vel interrumpatur propter adventum Episcopi.

Majore et fortiori ratione id servandum esse, quando Episcopus jam *inchoata Missa conventuali* ad Ecclesiam accedit, sicut etiam, quando Episcopus  *finita concione non expectat finem Missae conventualis*, sed statim discedere voluerit.

Quando Episcopus statim  *finita Missa conventuali* discedere voluerit et  *non expectare Sextam*, quae immediate finita Missa cantari solet, convenire videtur, ut Canonici statim finita Missa Episcopum saltem usque ad portam Ecclesiae comitentur et statim postea redeant ad cantandam horam Sextam.

Quando Episcopus  *private, sine cappa*, ad Ecclesiam venire voluerit, non tenentur Canonici nisi ex voluntate et urbanitate haec obsequia praestare. n. 505 ad 1—6, die 4. Julii 1615; n. 2739 ad 3 die 13. Julii 1675.

Si Episcopus a choro discedat non expletis divinis Officiis, duo saltem

Canonici eum associant. n. 1661 die 22. Mart. 1653.

Post vespervas quatuor Canonici ad minus teneri associare Episcopum, dummodo alii Canonici remaneant in choro ad Completorium. n. 2151 die 4. Mart. 1662.

Servitium chori non esse omittendum per Canonicos recitare debentes Completorium immediate post Vespervas, sed Episcopum esse associandum per solos Canonicos assistentes, quando ipse Episcopus post Vespervas discedit ab Ecclesia et Completorio assistere non vult. n. 2536 die 21. Mart. 1671; n. 2739 ad 1 die 13. Julii 1675; n. 4317 ad 3 die 6. Aug. 1763.

Quando Episcopus Rocchetto et Moz-zetta tantum indutus assistit Missis et Vesperis Canonici non tenentur ipsum  *a proprio cubiculo* ad Ecclesiam comitari. n. 633 die 16. Maji 1626.

Canonicos non solum in illis diebus enumeratis in Caeremoniali sed etiam semper et quandocumque teneri in habitu canonicali excipere et associare Episcopum venientem ad Ecclesiam ad solemniter celebrandum vel Pontificalia exercentem seu Divinis assistendum sive ad Conciones audiendum, seu alia quacumque de causa eumque pari modo abeuntem reducere  *dummodo cappa indutus sit*. n. 715 die 20. Novb. 1627.

Praevio recessu a decisio teneri Canonicos excipere Episcopum ad formam Caerem. approbati a Bened. XIII., et Episcopus se absteineat a hujusmodi assistentia cum pluviali in diebus minus solemnibus. n. 4145 ad 1 die 20. Julii 1743. In decreto de 22. Aug. 1744 n. 4163 resp. S. C.: Teneri semper (associare) ac Episcopus accedit  *cum cappa magna, etiam Dominicis et festis minus solemnibus*.

Canonicos teneri Episcopum  *cappa indutum per eam viam (habebat Episcopus viam brevioram per porticum*

*Sacristiae ex aedibus, alteram longiorem per plateam ad portam majorem Ecclesiae)* et ex ea aula seu camera, quam ipse ad hoc singulis vicibus destinaverit, ad Ecclesiam comitari atque deducere et ad easdem sic destinatas reducere. n. 1424 die 17. Decb. 1642.

Satis esse, quod Episcopus cappam induat in camera, in qua Canonici illum excipiunt. n. 1567 ad 6 die 13. Sept. 1646.

Canonicos in eorum habitu Ecclesiastico, sed Canonicali, teneri Episcopum, cappa indutum, per eam viam et ex ea aula, quam ad hoc ipse singulis vicibus destinaverit, ad Ecclesiam comitari atque deducere; quod si in Sacristia vel alio loco Episcopus cappam deponat, data benedictione canonicis dimittat. n. 1661 die 22. Mart. 1653.

Cf.:  *Episcop.* (accessus etc.; associatio  *presbyt.* decr. n. 4063).

Ad relationem Episcopi Tragurien., quod ob debilitatem genuum sibi confici fecit  *una segetta alla romana* ad effectum faciendi se gerere in illa ad Ecclesiam, et quod propterea Canonici renunt ei praestare solitam associationem, quam in casu ei praestari supplicavit, S. C. resp.: „ *Lectum*“ n. 2886 die 6. Maji 1679.

*Ad dubium*: An omnes Dignitates et Canonici Episcopo  *curru vel portatili Sella* ad Ecclesiam venienti teneantur extra portam Cathedr. occurrere et usque ad suam sedem in choro associare ipsumque ad januam deducere? S. C. resp.: Affirmative usque ad locum, ubi Episcopus induit cappam. n. 4317 ad 2 die 6. Aug. 1763.

Ad relationem, quod sub  *praetextu modicae pluviae* nolunt Canonici Ragus. Archiepiscopum associare a palatio ad Ecclesiam  *cappa indutum*, S. C. resp.: Teneri Canonicos associare

Archiep. et posse cogi. n. 2274 ad 2 die 24. Maji 1664.

Canonicos Cathedr. Pharen. debere Episcopum educere ab aede episcopali, sive eo celebrante *sive aliquo alio*. n. 2651 die 12. Aug. 1673.

Episcopum Canonicos, qui eum in solemnitatibus ad Ecclesiam cum cappa magna accedentem comitari resusant, in distributionibus quotidianis mulctare non posse; caeterum utatur jure suo. n. 3425 die 27. Apr. 1697.

Impeditis Canonicis et Dignitatibus in actuali servitio chori tenentur duo Canonici, non tamen impeditis servitio chori, *saltem duo Canonici*, excipere ad ostium Ecclesiae illucque associare Episcopum *Rocchetto et Moz-zetta indutum*, quando accedit, ut intersit benedictioni SSmi. aliisque functionibus ecclesiasticis. n. 3632 ad 1 et 2 die 26. Aug. 1702.

Canonici Turritani tenentur processionaliter accedere ad palatium Archiepiscopi ad associandum tam in accessu quam in recessu a Cathedrali ad palatium, non obstante distantia biscentum et ultra passuum et inter-mediatione viae publicae. n. 3687 ad 6 die 26. Apr. 1704.

*Ad dubium*: An in diebus solemnioribus Canonici Cathedr. Melphit. teneantur Episcopum reducere ad aulam sive potius ad fores Ecclesiae? S. C. resp.: In casu, de quo agitur, esse reassociandum extra fores Ecclesiae. n. 4145 ad 2 die 20. Julii 1743.

Ad idem dubium S. C. resp.: Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. n. 4163 ad 2 die 22. Aug. 1744.

*Ad dubium*: An Episcopo accedenti ad Ecclesiam Cathedralis pro celebranda Missa privata ad Altare S. Emigdi teneantur Canonici occurrere in ostio, porrigere aspersionem, nec non praestare assistentiam Missae?

Et S. R. C. rescribendum censuit: „Affirmative quoad occursum per nonnullos Canonicos et porrectionem Aspersionis: In reliquis dilata“.

Et ita decrevit ac servari mandavit. n. 3886 ad 4 die 11. Julii 1716.

#### MONOPOLITAN.

Canonicus Caer. Magister Cath. Monopolitanae S. R. C. declarationem super sequenti proposito Dubio quum humillime requisierit, nimirum:

Ep. Monopolitanus ab immemorabili Vesperas Assumptionis B. M. V. solemniter celebraturus in Sacello Episcopalis Palatii Pontificalibus vestibus induitur, et inde ad Cathedralis Canonici comitantibus et ante illum cum Planetis supra Rocchellum gradientibus, ipse processionaliter sub Baldachino incedit, cujus hastas quatuor juniores Canonici cum Cappa deferunt. Quaeritur ergo: utrum haec rite fiant, vel potius quoad hastas Baldachini standum sit duobus ejusdem S. R. C. Decretis in Arianen. latis diebus 20. Aug. 1639, et 2. Julii 1840?

S. eadem C. ad Vaticanum hodierna die in Ordinariis Comitibus coadunata, referente subscripto Secretario, rescripsit: „Servandam esse *Pontificalis Rom. Rubricam*“.

Atque ita rescribere rata est et servari mandavit. n. 5158 die 29. Martii 1851.

#### COMPOSTELLANA.

Quum Canonici Cathedralis Compostellanae renuant associare Reverendissimum Archiepiscopum ab Aula ad Ecclesiam, uti praescribitur in Caeremoniali Episcoporum, dum Pontificalia peragere debet, Reverendissimus idem Archiepiscopus opportunam in re declarationem a Sacrorum hac Rituum Congregatione exposulavit humillime.

Et Sacra eadem Congregatio ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata in Ordinario Coetu rescribendum censuit: „Servetur dispositio Caeremonialis lib. I. cap. XX. et detur Decretum in Turritana diei 26. Aprilis 1704“.

Vd.: *Supra decr. n. 3687*.

Atque ita rescripsit servarique mandavit. die 23. Maji 1835 n. 4741.

#### b) Associatio alior. Presbyterorum.

Non tenentur Presbyteri, qui non sunt de Capitulo, associare et reassociare Episcopum, quando venit cum cappa ad Ecclesiam. n. 1243 die 17. Julii 1640.

Capellani Metropolitanae Ecclesiae (Januen) de Massa nuncupati ad eandem Archiepiscopo accedentem Missam aliaque divina Officia pontificaliter celebraturo ex aula archiepiscopali ad ad Ecclesiam et ab Ecclesia ad dictam aulam comitari tenentur; et eadem associatio debetur, quando Archiepiscopus cappa indutus descendit ad effectum praestandi assistentiam. n. 3997 ad 1 et 2 die 3. Mart. 1731.

Ad relationem Episcopi Urbevetaei: Accedente Episcopo cum cappa ad Cathedralis tam in diebus solemnioribus quam minus sol., vel ut Divinis assistat vel pontificaliter celebret vel Conciones audiat vel alia de causa, teneantur Canonici et Dignitates capitulariter *una cum Beneficiatis et Capellanis* illum excipere in aula, ubi se induit cappa et simili modo reducere, non obstante quacunque consuetudine, etiam immemorabili, sub Poena arbitrio Episcopi. S. C. resp.: Associationem esse praestandam Episcopo a *Canonicis* diebus solemnior. et quodocunque est pontif. celebraturus, etiamsi ingrediatur per januam privat. et in reliquis serventur decreta. n. 4063 ad 3 die 3. Augusti 1737.

#### c) Genuflexio Canonicor.

Vd.: *Genuflexio coram Episcopo*; *Canonici* (genufl.)

*Ad dubium*: An tempore, quo Episcopus cappa indutus in accessu ad Ecclesiam Venerabile in genuflexorio adorat, liceat Canonicis pergere ad sedes chorales vel alibi, ibique genuflectere vel stare, seu potius teneantur genuflectere circa genuflexorium Episcopi? S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. n. 4062 ad 13 die 3. Augusti 1737.

#### 2) Access. ad Eccl. Colleg. vel aliam.

Cf.: *Aspersionum etc.*; *Stola in receptione Praelati*.

Accedentem Episcopum ad aliquam Collegiatam suae Dioecesis tenentur Canonici ejusdem Collegatae associare et circa ordinem incedendi servari Caeremoniale (Lib. I. c. XV.; lib. II. c. XXXII.) n. 1030 die 24. Novemb. 1635.

Dignitates et Canonicos non esse cogendos nec teneri Episcopum extra Cathedralis ab alia Ecclesia discedentem usque ad rhedam associare. n. 1633 die 2. Mart. 1652; n. 1646 die 3. Aug. 1652.

Procurator gener. Camaldul. admonetur, ne audeant Monachi debita obsequia recusare Episcopo ad eorum Ecclesiam accedenti ad exercenda Pontificalia Ordinis, non tamen jurisdictionis. n. 2070 die 24. Julii 1670.

#### 3) Accessus.

(*Ordo incedendi*.)

Canonicos in habitu eorum *ordinario* associantes Episcopum *Cardinalem* debere anteire et non sequi. n. 747 ad 1 et 2 die 12. Junii 1628.

*Ad dubium*: An in associatione Episcopi Pontificalia exercentis tam

in accessu quam in recessu ab Ecclesia praeire debeant familiares Episcopi, deinde ipse Episcopus et postea Canonici; vel potius praeire debeant Clerus et Canonici, postea familiares Episcopi et postea Episcopus? S. C. resp.: Servetur Caerem. lib. 1 c. 15. n. 4062 ad 8 die 3. Aug. 1737.

Tam in associatione Episcopi quam in processione deberi praecedentiam et locum digniorem prope Episcopis Canonici Cathedrali. n. 4108 ad 6 die 21. Jan. 1741.

*Ad dubium:* An Consuetudo, qua Canonici Ravennatenses in associatione Archiepiscopi ab ejus aula ad Ecclesiam incedunt post ejus crucem immediate ante ipsum, possit sustineri? S. C. resp.: Negative, ac servetur omnino Caer. Ep. et amplius. n. 4597 die 12. Apr. 1823.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

De ordine servando in sociatione Episcopi ad Ecclesiam profecturi, ut Sacra solemniter peragat vel iisdem assistat, agens *Caeremoniale Episcoporum lib. 1 cap. 15 num. 2.* praeire jubet familiares Episcopi, Magistratum ac Viros illustres; Canonicos vero suae Cathedralis Eum sequi. Haec est regula generalis, quae tamen magis urget, si agatur de Archiepiscopo; nam, ut Caeremoniale loco citato prosequitur: *Si fuerit Archiepiscopus aut alius utens Cruce, ipsa Crux immediate ante Archiepiscopum per aliquem Capellanum deferatur, Imagine Crucifixi ad Archiepiscopum conversa, inter quam et Archiepiscopum, nullus omnino incedat; est enim insigne ipsius:* ergo familiares Episcopi, Magistratus, illustres viri ante Crucem incedere debent: Canonicos vero anteire non licet; et quamquam quis crederet tolerari id posse, si Episcopus sit associandus, attamen nequit,

si Ecclesia Metropolitana sit et Archiepiscopatus honore gaudeat, vel Praesul deferendi ante se Crucem Apostolico privilegio fruatur, quia nedum habenda ratio est regulae generalis, verum etiam et multo magis peculiaris, quia Crux immediate ante Archiepiscopum vel Episcopum eodem privilegio decoratum, nemine intercedente, deferenda est. Ab hac autem Caeremonialis dispositione fas non est recedere, etiamsi contraria invaluisset consuetudo. Si haec alicubi obtinuerit, improbanda est, utpote contraria Pontificii juris dispositioni; ideoque tradita regula Caeremonialis ad observantiam revocanda. Nam illae dumtaxat reservantur consuetudines, quae vere laudabiles et rationabiles sunt, nec aperte repugnant regulis in eodem Caeremoniali praeceptive praescriptis. Talis non erat, quae Ravennae vigebat, ubi Canonici non sequebantur Archiepiscopum, sed incedere consueverant ante ipsum post Crucem, contra expressam Caeremonialis legem, quae omnino vult, ne inter Crucem et Archiepiscopum ullus intersit. Quae regula limitationem solummodo patitur, *dum Archiepiscopus Sacris amictus incedit; tunc enim Canonici parati ad modum processions immediate antecedunt.* En dispositio Caeremonialis *lib. 2 cap. 8 num. 27.* *Si vero celebrans fuerit Archiepiscopus, aut Archiepiscopo major, aut habens privilegium, ut Crux ante se deferatur Archiepiscopalis, per Subdiaconum paratum defertur ante Canonicos paratos tantum, non autem ante alios de clero.* Spartam hanc praeclare illustravit in suo elucubratisimo voto cl. Vir Joannes Canonicus Fornici Congregationis Caeremonialis a Secretis; nec mei instituti ratio patitur, ut plura hic addam. Haec adnotasse sufficiat, ut quisque intelligat, jure Sac. Congreg. respondisse proposito Dubio:

*Servandum omnino esse Caeremoniale Episcoporum.*

*Ad dubium:* Laudatae Ecclesiae Primatialis Pisanae Canonici, dum e propria residentia ad illam, vel ab illius janua ad propriam Sedem Archiepiscopalem Archipraesulem in Cappa accedentem comitantur, juxta sublatum morem Canonorum Ravennatensium bini post Crucem Archiepiscopalem ante ipsum Antistitem progrediuntur. Ad hanc tuendam consuetudinem maxime roboris esse perhibetur veterum picturarum testimonium et perennis traditio a Majoribus accepta, adeo ut praesumatur hic usus ab eo tempore inchoatus, quo ab Urbano Papa II. haec Primatialis Ecclesia in Metropolitanam dignitatem recepta est. Quaeritur igitur: utrum recensita consuetudo servanda nec ne sit? S. C. resp.: „Negative, et servetur omnino Caeremoniale Episcoporum“. n. 4672 ad 23 die 12. Novb. 1831.

Vd.: *Canonici* (Ordo incedendi).

4) Accessus primus in civitatem.

Cf.: *Homagium; Magistratus; Visitatio* (jus, associat. Canonic. decr. n. 3624); *Ecce Sacerdos magnus. Episcopus Visitor.*

Accipere Pluviale, crucem osculandam Episcopo porrigere, Versiculos et Orationes super eum cantare et alias quascunque functiones, quae juxta librum caeremonial. in primo ingressu Episcopi exercendae sunt, ad primam Dignitatem seu digniorem de Capitulo spectare. n. 516 die 30. Jan. 1616.

Oblationem crucis ad osculandum Rdm. Episcopo vel alicui Principi spectare ad digniorem e Dignitatibus. n. 2491 die 31. Aug. 1669.

5) Administrator.

a) Assistens missae solemn.

*Ad dubium:* An Ep. Adm. umquam Missae solemn. assistere possit Pluviali vel

Cappa indutus, absque tamen circulo Canonorum, vel potius requiratur, ut cum Mantelletta assistat ad lucrandos suae Praebendae fructus?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

Quoad primam partem negative: quoad secundam affirmative.

Atque ita rescribendum rata est ac ex aliis etiam Decretis declarare. n. 5140 ad 7 die 23. Sept. 1848.

b) Associatio.

*Ad dubium:* An Canonici Episcopum Administratorem accessurum ad Cathedrali. debeant omnes excipere in aedibus, vel soli tres aut quatuor ad portam Ecclesiae? S. C. resp.: Decere in casu, de quo agitur, ut omnes accedant. n. 3952 ad 9 die 22. Aug. 1722.

c) Celebrans.

*Ad dubium:* An Episcopo Administratori liceat perficere benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum ac Fontis Baptismalis in Sabbato S., quin Missam deinde celebret?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Negative, nam id unice competit Episcopis Ordinariis; et quum Orator Praebendam retineat, necesse est ut praxi communi se conformet, nimirum: ut enunciatae benedictiones perficiantur a Celebrante“.

Atque ita rescribendum rata est ac ex aliis etiam Decretis declarare. n. 5140 ad 8 die 23. Sept. 1848.

d) Incensatio.

Vd.: *Concionator* (bened.)

Ep. Adm. deberi honorem thuris per manus Diaconi vel alterius ministrantis ante Gubernatorem civitatis et alios quoscunque n. 706 ad 3 die 7. Aug. 1627.